

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Heripolin Abbatis, viri suo æuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia**

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;  
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Heripolin Abbatis, viri suo æuo doctiss. Primae Partis Opera Historica,  
Quotquot hactenus reperiri potuerunt, omnia

**Trithemius, Johannes**

**Francofurti, 1601**

Vita Et Lvcvbrationes Johannis Trithemii, Primo Sponheimensis, Ac Postea S. Iacobi apud Herbipolin Abbatis, Ex Epistola Iohannis Dvraclvpii, Discipvli eiusdem Trithemii, ad Nicolaum Hamerium Emelanum.

**urn:nbn:de:0128-1-17297**

VITA  
ET LVCVBRATIONES JO-  
HANNIS TRITHEMII, PRIMO SPO-  
HEIMENSIS, AC POSTEA S. IACOBI  
apud Herbipolin Abbatis,

*Ex Epistola*

JOHANNIS DVRA CLVSII, DISCIPVLI  
eiusdem Trithemii, ad Nicolaum Hamerium Emelanum.



JOHANNES TRITHEMIUS Abbas in villa Tritenheim, Treuerensis diecesis ad ripas Mosellæ fluminis, nascitur, prima die mensis Februarii, hora vndeclima, minuto tricesimo post meridiem, anno Dominicæ nativitatis mcccc lxii. indictione Romanorum decima: patre Iohanne de Heidenberg, matre vero dicta Helisabeth de Longovico: eo videlicet anno, quo Moguntia civitas in discensione duorum Pontificum capta, libertatem perdidit, & seruitutem inuenit, multis ciuium in exilium actis; anno Pii Papæ eius nominis secundi, currente quarto, & Friderici tertii Imp. 22. Anno autem Domini 1482. in Monasterio Spanheimensi Moguntianæ diecesis, prima videlicet die Febr. qua olim fuerat natus, habitum secularem depositus, & monasticum sub norma D. patris Benedicti de obseruancia nouiter introducta, illuc assumpsit. Sequenti anno, qui fuit 83. supra quadringentesimum atque millesimum, Iohanne de Colenhusen abbatem ad Selgenstat canonica postulatione translato, Ioannes Trithemius communis fratrum electione, in Abbatem memorati coenobii Spanheimensi, 4. calen. Jul. promotus & ornatus, præfuit annis 23. mense uno, diebus decem & nouem. Quibus euolutis, non sine laboribus multis, quorundam amulorum temeritate protocatus, abbatiam S. Iacobi Herbipolensem, quæ illi offerebatur, assumpsit; & Spanheimensem curis inutilibus plenam, spontanea voluntate resignauit. Vtrobique plura conscripsit opuscula è quibus mihi sua manu in schedula nuper consignauit subscripta. Quorum tu cum à me titulos, amice, postules; tuis libenter annuo votis, quo communis amici & præceptoris nostri memoriam, ex consideratione tantorum laborum eius habeas strictiorem. Et primo quidem lucubrationum earum titulos consignabo, quas in Spanheim abbas existens laboriose composuit. Scripsit in primis Constitutiones ordinis sui, quæ factæ fuerunt in capitulis prouticialibus iussione præsidentium, librum unum. De visitatione monachorum, librum unum. De modo celebrandi capitulum prouticale, librum unum. In regulam sancti Benedicti, libros duos. Homelias & sermones exhortatorios ad monachos suos, libros duos, quos antecessori suo dicauit. De tentationibus claustralium, & remediis earundem, libros duos. Ad Nicolaum presbyterum Mennicensem de vita sacerdotali, librum unum. Contra peculium monachorum, librum unum. De vanitate & miseria huius vitæ, librum unum. Opus Penthiicum, id est, lugubre de ruina ordinis sui librum unum. De illustribus viris sui ordinis, libros quatuor. Laudes ordinis fratrum Carmelitarum, libros duos. Ad Gerlacum abbatem Tuitensem laudes scriptorum manualium, librum unum. Ad Iohannem Dalburgium, Wormatiensem Episcopum, de scriptoribus Ecclesiasticis, librum unum. Delaudibus S. Annae auia Domini librum unum. Ad quæstiones Autgeri Sicambri canonici Dumetis, librum unum. Chronicon monasterii sui Spanheimensis, non paruum volumen, librum unum. Chronicon sue annales monasterii Hirsaugiensis, duo volumina magna. Chronicon successionis ducum Bauariae, & comitum Palatinorum, ad Philippum Palatinum comitem, Principem electorem librum unicum. Vitam sanctæ Hirminæ monialis, & primæ abbatis in horreo Treuirensi, librum unum. De miseria Prælatorum claustralium, libros duos. Laudes S. Andreæ Apostoli, librum unum. Laudes S. Joseph nutritii Domini, librum unum. Laudes S. Benedicti abbatis librum unum. Laudes vita monastica, libri unum. Laudes

Trithemii

Opera  
istorica

veræ pœnitentie, librum vnum. Laudes studij diuinardum scripturarum, librum vnum.  
Monologion hominis Deo deuoti ad seipsum, libru vnum. De miraculis S. matris Annæ,  
librum vnum. Ad Vdalricum canonicum Colonensem super questionibus Euange-  
lium Iohannis, librum vnum. Ad eundem super questionibus Psalmorum, librum vnum.  
Ad præsidentes Capituli annalis, de obseruantia Bursfeldensi, abbreuiauit statuta eiusdem  
vñonis, librum vnum. Spirituale monachorum exercitium, librum vnum. Epitoma seu  
breuiarium eiusdem, librum vnum. De computo Ecclesiastico, librum vnum. De illu-  
stribus Germanæ scriptoribus, ad Iacobum Wimphelingum Rheldopolitanum, Sletsta-  
tinum, librum vnum. Epistolatum Spanheimensem ad diuersos, libros quatuor. Oratio-  
nes in capitulis & alibi habita, sunt numero quatuor & viginti, quæ faciunt librum vnum.  
Sermones ad fratres suos Spanheimens coenobii scripsit quadraginta numero pulcher-  
rimos, librum vnum. Sermones in diebus festis ad populum, librum vnum. Orationes ad  
Deum & Sanctos supplicatorias plures, librum vnum. E Græco sermone traduxit in Latinum,  
Maximilianum. Abbatem de incarnatione Domini: Anathemata quoque sancti  
Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini, contra haereticos in tertia synodo Ephesina promul-  
gata: Et eiusdem synodi quasdam epistolas. Scripsit etiam pro ædificatione monacho-  
rum notabile opus, quod prænotauit De triplici regione claustrorum, libros tres. Scripsit &  
alia quædam minora opuscula, quorum ad me titulos non signauit. Hæc sunt Nicolæ  
frater amantislime, Trithemiana opuscula, quæ per annos tres & viginti abbas existens,  
lucubravit in Spanheim, ad Dei honorem, in medio curarum & continua rei familiaris  
occupatione: legens aut scribens die ac nocte, quotiens sibi orium licuit subfurari. Maxi-  
mum librorum in omni facultate thesaurus Spanheimensi Bibliothecæ per annos qui-  
bus præfuit, importauit, non solum arte impressoria, sed etiam manuscriptorum. Nam  
cum esset apud eum vnius anni spatio, pro discendis ab eo literis Græcis atq; Hebraicis,  
duo millia numerata Bibliothecæ volumina, quorum ad minus octoginta calamo in per-  
gamenio & papiro decenter fuerunt conscripta. Audiui sepius ab eius ore, quod plus  
quam duo millia florenorum pro libris expoinerit, quos non de monasterii substantia  
(quæ semper valde fuit exilis) accepere, sed cum multis & notis & charis esset Principi-  
bus, munera quibus honorabatur ab eis, ut plurimum pro libris exposuit. Maximus enim  
librorum amator & cultor est supra omnes, quos ego hodie noui in carne viuentes. Di-  
citur autem à multis, quod eius successor, qui nunc est Abbas in Spanheim volumina  
plurima alienauit: quod an sit verum, certe mihi minime constat. Anno Domini 1504.  
cum inter regnum & Philippum comitem Palatinum atrox fuisse bellum exortum:  
Trithemius hostium metu, cum sua Bibliotheca & rebus monasterii ad Crucinacum  
proximum successit oppidum, & ego similiter ad mea fui reuersus. Anno autem sexto su-  
pra quingentesimum atq; millesimum, de mense Octobri Trithemius ipse quorundam  
inuidia stimulauit, Abbatiam sancti Iacobi apud Wircburgum accepit, & Spanheimen-  
sem resignauit. Vbi varia scribit quietus quorum ad me titulos nuper isto transmisit ro-  
gatus. Ad Maximilianum Cæsarem opus mirandum edidit, quod Polygraphiam præno-  
tauit, libros sex. Ad eundem eiusdem Polygraphia clauem, librum vnum. Responsiones  
ad octo questiones eiusdem Cæsaris, librum vnum. Ad eundem de septem intelligenti-  
bus mouentibus orbes, librum vnum. Ad Joachim Marchionem Brandenburgensem  
Principem Electorem, variarum questionum, orationum, & propositionum libros vi-  
ginti. Ad eundem de prænitionibus licitis Christiano, & non licitis, libros duos. Ad eun-  
dem scripsit mirandum & laboriosum opus illud Steganographia libros octo, quod tem-  
perarius ille Bouillus non capiens, impetrissime & falsissime reprehendit. Ad eundem  
Principem epistolarum librum vnum. Ad eundem contra maleficos, & omnes artes &  
superstitiones ab Ecclesia prohibitas, libros quinque. Ad eundem de caufis & cura mor-  
bi caduci, ac maleficiorum, libros tres. Ad Iacobum Trithemium fratrem suum Itine-  
rarium vita sue, libros duos. Ad Burghardum de Horneck medicum de peculio mo-  
nialium, librum vnum. Historiam siue annales de origine, Regibus, & gestis populi Fran-  
corum & Germanorum scripsit tria magna volumina, narrationem incipiens a Marco-  
mero rege, qui populum anno ante incarnationem Domini 433. à Scythia finibus in  
Germaniam eduxit ad ostia Rheni, usq; in 29. annum Maximiliani Cæsaris. Ad Laurentiu-  
m de Bibra Wircburgensem Episcopum, orientalisq; Franciæ ducem, epitomen siue  
breuiarium scripsit corundem trium voluminum historiarum, libros tres. Ad eundem  
de Ducibus & Episcopis Francorum Wircburgensem, librum vnum. De miraculis  
ad memoriam Domini nostræ sanctæ Mariæ apud Dittelbach ostensis, libros duos.

De

De miraculis eiusdem  
in Carolum Bouil-  
& Regibus Franci-  
Iacobi apud Wirc-  
Archiepiscopum  
libros tres. De eu-  
vitam sancti Maxi-  
Ducem, & Com-  
Ducibus Bauario-  
tuor. De Damo-  
veriat in manibus,  
vaframenta explo-  
pūt abbatia, libros  
uotioni congrua,  
prosæ siue sequen-  
Magdalena laude-  
rium. De sancto  
Ad instantiam Io-  
calorum regis, sub n-  
ten in hac die. Te  
honore. Quartan-  
eterna gloria. Qu-  
die. Sextam de la-  
de sancto Rabano  
Chistum adoremus  
guis, & sic incipi-  
cilicet, Ave præla-  
cipit: Trinitatem a-  
iulque hominis a-  
Tredecimam de t-  
Martha, virginem, C-  
xtam decimam de-  
re Apostolo. Non  
Sanctis. Et de fin-  
noua diuinis scrip-  
tis in incarnationis  
niens, librum vnum  
mas meditationes &  
trice virgine Maria  
aliis, quæ videbit &  
me, Trithemii Abb-  
bravit studio: præ-  
incognita. Vale c-  
nostræ, millesimo,

De miraculis eiusdem in Vrticeto apud Helprumam ostensis, libros sex. Apologeticum in Carolum Bouillum, ea quæ non intellexit calumniantem, librum vnum. De origine & Regibus Francorum, librum vnum. Chronicon monasteri sui, cui nunc præsidet, diu Iacobi apud Wirciburg, librum vnum. Ad Albertum ex Marchionibus Brandenburgi, Archiepiscopum Moguntinum & Magdeburgensem, vitam diu Rabani archipræfus, libros tres. De ciuidem à Moguntiaco translatione in Saxoniam, librum vnum. Ad eundem vitam sancti Maximi Episcopi, libru vnum. Ad Iohannem Comitem Palatinum, Bauariae, Ducem, & Comitem in Spanheim, apud Symeren residentem, de origine, Regibus, ac Ducibus Bauariorum simul & Comitum Palatinorum & Spanheimensium, libros quatuor. De Dæmonibus & artibus profanis, maleficis & superstitionis, laboriosum opus verlat in manibus, quod libros habebit duodecim, in quibus omnia diabolicalarum artium vaframenta expludit, confundit & cuertit. Epistolarum Herbipolensis, quas in ea scriptis abbatia, libros quatuor. Scriptis etiam alia minora complura, sua & amicorum deuotioni congrua, vi fuit, Cursus, Rosarium, Missale officium, & variae orationes, simul & pro se sequentiae de sancta Anna saluatoris nostri auia. Scriptis & de sancta Maria Magdalena laudes, precatio[n]es atq[ue] rosarium. De sancto Ioseph nutritio Domini rosarium. De sancto Petro Apostolo rosarium. De sancto Iohanne Euangelista rosarium. Ad instantiam Ioannis Archiepiscopi Treverorum sequentiam de Anna, quæ incipit *Iesu* *caelorum regis*, sub melodia, *Aue preclara*. Aliam in eius fetto canendam, quæ incipit: *Exultent in hac die*. Tertiam ad prouincialem Carmelitarum Augustæ, & incipit, *Iubilemus in honore*. Quartam de sancta Hildegarde virginie, quæ sic incipit: *Laus sit tibi Domine rex eterna glorie*. Quintam de sancto Ruperto Bingitorum duce, quæ incipit: *Exulteni in hac die*. Sextam de sancto Ioseph nutritio Domini, & sic incipit: *Cantemus incliti*. Septimam de sancto Rabano archiepiscopo. Octauam de vulneribus Christi, quæ sic incipit: *Iesum Christum adoremus crucifixo comploremus*. Nonam de compassione beatæ Mariæ semper virginis, & sic incipit: *Eia ploremus mente pia, beatae virginis Marie compatientes*: Sub melodia sicilicet, *Aue preclara*. Decimam de sancto Joachim genitore nostraræ Domina, quæ sic incipit: *Trinitatem adoremus, unitatem collaudemus patris, nati spiritus*. Undecimam de bono cuiusque hominis angelo proprio. Duodecimam in propria missa cuiusque sacerdotis. Tredecimam de sancto Maximo, episcopo Moguntino. Quartam decimam de sancta Martha, virginie, Christi hospita. Quintam decimam de sancta Maria Magdalena. Sextam decimam de sancta Maria Ægyptia. Septimam decimam, de sancto Iacobo maiore Apostolo. Nonamdecimam de sancto Benedicto abate. Vicefimam de omnibus Sanctis. Et de singulis nominatis memoriis & sanctis, officia missæ singula composuit noua diuinis scripturis conformia. Scriptis præterea meditationum & orationum Dominicæ incarnationis, nativitatis, vitæ, passionis, & mortis opusculum, deuotioni conueniens, libros duos. Speculum coelestis doctrinæ, compunctioni mentis non parum deseruiens, librum vnum quicke incipit: *Salutis humanae principum*. Multas quoque deuotissimas meditationes & orationes de Domino nostro Iesu Christo, de sanctissima eius genitrici virginie Maria, atq[ue] de variis Sanctis pulchra varietate componuit: cum ingentibus aliis, quæ videbit & mirabitur deuota posteritas omnis. Hæc fuit mi Nicolae charissime, Trithemii Abbatis nostri volumina, que per annos fere triginta duos, continuo lucubravit studio: præter illa quæ nondum perfecta in manibus versantur sub incude, mihi incognita. Vale ex ædibus meis Duraclusianis: quinta mensis Octobris, Anno salutis nostræ, millefimo, quingentesimo quintodecimo.

Johannes Duraclius.

Trithemij

Opera  
istorica